

† R. P. Bernardus Łubieński (1846-1933)

(PROV. POLON.)



R. P. Łubieński a. 1917.

Haud sine Dei dispositione accidit, ut hic miles veteranus 87 annorum, maximus forte missionarius nuper elapsi temporis, vertente ipso anno quinquagesimo a reditu Congregatorum in Poloniā¹ ad caelestem coronam evocaretur. Vir plane singularis certe dignus est, cuius vita uberiore magisque idoneo calamo describatur. Interim haec pauca confratribus tradimus.

Pernobili et clara simulque admodum religiosa stirpe Bernardus Łubieński ortus est. Ita enim legitur in vita patrui eius Constantii Irenaei Łubieński, Episcopi Sejnensis (1825-1869), quae vita gallice Rollarii a. 1898 prodiit: « Fa-

milia Łubieński spatio trium saeculorum Ecclesiae dedit duos Primates, duodecim Episcopos, viginti quattuor Canonicos, Praelatos, sacerdotes saeculares aut regulares ac fere totidem sanctimoniales variorum Ordinum » (p. 7); et quidam magistratus Russicus, catholicorum hostis, a. 1880 declaravit nomen Łubieński esse « synonymon ac vexillum rei catholicae in Polonia » (p. 9).

¹ Cfr. *Analecta* III (1933), 353.

Bernardus noster natus est in *Guzów*, Poloniae viculo prope Varsaviam sito, a. 1846, quo anno Pius IX ad Petri cathedra ascendit, die 9 Decembris, quo die memoria S. Restituti Martyris recolitur, primogenitus 12 liberorum comitis Thomae Lubieński. Avus eius Henricus, quondam millionarius, per hostes religionis catholicae et Poloniae reductus est ad condicionem plus quam mediocrem, ita ut cum familia in quadam paupertate vivere cogeretur.

Pater, olim educatus in collegio S. I. Friburgi Helvetiae, serio de induendo habitu eiusdem Societatis cogitaverat, verum postea ab intento resiluit. Cum autem in regione Ostrowiec, ubi Lubienskorum familia agros possidebat, quidam homo impius ex ecclesia parochiali vasa sacra et thecam cum Reliquiis S. Restituti sacrilege rapuisse, comes Thomas damnis resarcientis strenue adlaboravit et Beatum Martyrem rogavit, ut, si filius sibi nasceretur, Deo inter sacros ministros serviret. Immo, ut ipse P. Lubieński postea narravit, ambo parentes nuptiarum die Deo promiserunt: « Si primus connubii fructus puer fuerit et postea ad statum clericalem se vocatum senserit, eum iam nunc tibi consecramus. » De qua promissione etiam filium Bernardum, cum ad rationis usum venisset, certiore fecerunt¹.

Revera Bernardus inde ab infantia altariola exstruere et ornare, sacros ritus imitari, ad Missam inservire summo gaudio habebat. Ab ipsa matre piissima christianae doctrinae rudimenta recepit, et senex in mentem sibi revocabat, quanto cum moerore in charta geographicā a genitrice proposita tot tantasque terras tum spectasset adhuc infidelitatis tenebris obvolutas.

Ut mos erat apud nobiliores Poloniae familias, etiam Bernardus noster magistris domesticis et privatis paedagogis usus est. Sed nondum duodennis in Angliam mittitur, ut in clarissimo collegio S. Cuthberti in *Ushaw* humaniores litteras disceret. Collegio tum praeyerat R̄m̄us Carolus Newsham, qui alumnos eadem in SS. Sacramentum ac Beatissimam Virginem devotione imbuere studebat, qua ipse repletus erat. Eo igitur inspirante Bernardus statim sibi comparavit aurea illa scripta Alfonsiana « Visitations » et « Glorias Marianas », et hic fuit primus contractus emptio-nis, quem in vita init. In studiis litterarum, cum magnis ingenii dotibus non esset praeditus, minus erat fortunatus, et in examine maturitatis, quod dicitur, misere succubuit.

Sed nunc enarrandum venit, quomodo Deus providentissimus eum ad nostram Congregationem vocaverit. Bernardus, qui iam in collegio Ushaw primam tonsuram receperat, nil aliud in votis habebat nisi ut bonus, immo optimus sacerdos fieret.

¹ Ita Pl. R. P. H. MUSSHoff in foliis *Der Volksmissionar* et *St. Klemensblätter*, Jan. 1934.

De amplectendo statu religiosō ne cogitabat quidem. Tamen quodam die materterā pīssima, quae comiti Anglo Bodenham nūserat, ei dixit — forte rei inscia — haec ipsa verba S. P. N. Alfonsi: « Sacerdos religiosus uno anno multo plus praestat quam saecularis annis decem. »

Mansit alta mente refixum hoc dictum, et in pervigilio festi S. Bernardi, cum omnes iam cubitum iissent, adolescentulus nobilis avunculum, item piissimum, adiit inquiens: « Volo religionem ingredi, ne in saeculo misere peream; timeo autem ne non perseverem. » Tum avunculus consilium dedit sapientissimum, ut prius « exercitia electiva » in aliqua domo religiosa perageret. Id Bernardus brevi post apud Iesuitas in domo noviciatus Rochampton studiose perfecit, duce P. Alfrido Weld, avunculi sui consanguineo, viro docto et sancto.

In sacro secessu legit atque perlegit aureum libellum S. Alfonsi de vocatione et post confessionem generalem totius vitae Patri Weld tradidit chartulam, in qua omnes rationes pro amplectendo statu religiosō et contra adnotaverat. Is, charta inspecta, rationes prioris generis probavit; nam contrariae nullius fere momenti esse videbantur.

At subsequitur difficilius solutu problema: quanam e variis religionibus selengeta? Iuvenis comes timide proponit Societatem Iesu; P. Weld vero extemplo gestum improbantem facit. Proponit Cappuccinos. Idem gestus. Nominat Redemptoristas, quos in aliqua missione cognoverat. « Sane quidem. Redemptoristae bini et bini in missiones exeunt... Tu, quo es animo parum firmo et constanti, hanc Congregationem eligas. Non longe hinc absunt. Tibi epistolam dabo ad P. Coffin Viceprovincialem, et res erit cito absoluta. »

Postea P. Lubieński, cum alicui e Societate Iesu obviam siebat, iocose dictabat: « Patres Iesuitae maximi mei benefectores sunt eo, quod ad C. SS. R. me miserunt. » Quod illi aliquantulo aegrius ferebant.

Ergo Bernardus — currebat autem annus 1864 — in Clapham se confert, Patri Coffin sistitur, ab eo interrogatur de hoc et de illo, demum praesentatur P. Ioanni Swinkels, Superiori Provinciae Hollandico-Anglice¹, qui tunc in domo Clapham visitationem canonicam peragebat. Ab eo examini novo subiicitur. Iterum interrogatur, cunam apud PP. Iesuitas non sit receptus. Iterum respondet, ne se ipsum quidem id probe scire. Iterum totius vocationis sue historiam enarrat. Denique P. Provincialis nobilem Polonum ad Congregationem nostram admittit. Quae admissio paulo post, in pervigilio Nativitatis B. M. V., formalis evasit.

Primo illo die, quem Bernardus, tum vix 17 annos natus, in collegio Redemptoristarum transegit, vespere ante cubiculi portam preces et strepitum disciplinae audit, et postea P. Coffin intrat quaerens, quomodo talis musica placuerit. « Optime! » et ad pedes Superioris provolutus sibi statim eiusmodi paenitentiae instrumentum exposcit. P. Coffin: « *Omnia tempus habent* », inquit, et subridens candidatum ferventem amplectitur.

Sic igitur Deus hunc nobilem Polonum, primum post Provincialium institutionem (1841), in Anglica terra ad Alfonsianum Institutum vocavit, tantumque huius familiae religiosae amorem inde ab initio cordi eius indidit, ut Bernardus nullas unquam contra vocationem tentationes senserit.

Rebus suis in patria compositis 13 Sept. 1864 in Britanniam revertit et noviciatum in domo Bishop Eton exorsus est, optimo Magistro P. Ioanne

¹ Anno insequenti 1865 Vicarius Apostolicus Surinamensis et Episcopus tit. Amoriensis nominatus est.

Stevens, qui tirones iuxta pristinam methodum severam exercebat ope mortificationum et humiliationum, saepe valde molestarum. Tamen Fr. Lubieński maiores difficultates non expertus est, et immobilis in sancto proposito etiam tum remansit, cum a quibusdam e familia sua recepit epistles ab amplexanda religione fortiter deterrentes.

Absoluto anno probationis, ad diutius constantiam adolescentuli probandam, non statim ad professionem admissus est. Incepit itaque in eadem domo Bishop Eton, ubi clerici Anglici infirmioris valetudinis commorabantur, studia philosophica sine votis, donec 7 Maii 1866, festo B. M. V. de Misericordia, vota Redemptoristae nuncupare ei concessum est. Paulo ante in possessionem nostram pervenerat prodigiosa Imago de Perpetuo Succursu, cuius cultum P. Lubieński postea tantopere promoturus erat.

A. 1869 iubetur collegium Bishop Eton cum Wittemensi commutare. Hic, R. P. Francisco X. Godts Praefecto¹, in convictu numerosae iuventutis Ligorianae e nationibus admodum diversis dulces annos egit. Ascendit etiam gradatim ad ordines minores et maiores, et sacerdotio quidem auctus est in ecclesia nostra Aquisgranensi 29 Dec. 1870 per manus Episcopi tit. Theodori Laurent, nobis amicissimi².

Post octo menses neosacerdos, studiis rite absolutis, Wittemio reversus est in Clapham, et ibi quoque per annum *soli Deo et studiis* vacare debuit. Post rite peractam in Perth Scotiae secundam probationem, Praefecto P. Edm. Vaughan, a P. Provinciali Coffin qua Secretarius assumptus est, simul Chronista, Archivista, denique etiam Procurator Provinciae; perraro igitur in sacro pulpito aut in confessionali apparebat. Ita P. Coffin statuerat, perspectam habens iuvenis Redemptoristae (tribus annis a trigesimo anno aberat) indolem bonam fervidamque, sed nondum undequaque firmatam.

¹ De eo cfr. *Analecta VII* (1928), 238-242.

² Ita P. Lubieński ipse plures testatus est, idemque confirmatur Annalibus collegii Aquisgranensis. Ergo corrigendum, quod in Analectis X (1931), 99 de Colonia Agrippina tanquam loco ordinationis P. Lubieński legitur. P. Godts tum perbelle dixisse fertur: *Le jour d'un Saint Evêque Martyr* (S. Thomae Cantuariensis) un *Evêque Martyr* (Illiūs Laurent, massonum machinationibus e sede sua Luxemburgensi inique pulsus) ordonna le neveu d'un *Evêque Martyr* (intelligitur Episcopus Sejnensis Lubieński supra laudatus, qui a Russis schismaticis exsilio affectus, in ipso itinere 16 Iun. 1869 occubuit, sat certo veleno interruptus). Kal. Ian. 1871 neomysta in eadem ecclesia Aquisgranensi primam Missam sollemnem litavit, indutus alba, qua olim usus fuerat S. Clemens noster, presbytero assistente P. Friderico de Held, qui per totam fere Missam Rosarium brachio pendens orando volvebat. Contionem festivam habuit P. Kottenstette, qui ingeniose P. Bernardum cum S. Stanislao Kostka comparavit, quatenus uterque, Polonus nobilis, patriam parentesque reliquit, ut Deo se totum voveret.

P. Lubieński prompte, licet non sine reluctantia inferioris partis naturae, se submisit voluntati Superioris Provincialis, quem etiam in spiritus moderatorem sibi elegit, tam eximii religiosi imaginem vivam in se exprimere satagens. Quis dubitat, quin tanto magistro, cuius individuus comes per integros fere novem annos fuit, plurimum profecerit? Tamen inde ex a. 1875 etiam missionibus operam dare ei licuit, et usque ad a. 1882 complures quotannis excursiones apostolicas fecit.

His curis et laboribus immersus fere iam nihil de sua Polonia cogitabat. Ad parentes raras dat litteras, etsi pater libros Polonicos mittit orans rogansque, ne a patria lingua penitus desuefiat. Filius tamen legit per pauca, quia et tempus et voluntas deest.

At quodam die litteras accipit a fratre *Rogerio*, in qua multa de rebus familiae et patriae narrantur et in fine additur: « Spero fore ut brevi te in patria videam. » Cum P. Lubieński de hisce P. Provinciali narrasset, is extemplo, quasi inspiratus: « Ego te », inquit, « tandem aliquando in patriam mittam. » Revera in sequenti anno promissum solvit, hunc itineris finem praecipuum assignans: Videret, si Congregatio SS. Red. in Polonia locum consistendi reperire posset.

Itaque P. Lubieński in patriam proficiscitur et per viam multa nostra collegia in Gallia, Germania, Austria studiosus lustrat; in Polonia non modo familiam, sed etiam varios Praesules adit, nexus amicitiae cum viris egregiis texit, de S. Clemente haud paucas notas historicas colligit, demum in Britanniam redux longiorem relationem Romam mittit. R̄mus P. Mauron respondet se Patri Kassewalder, Superiori Prov. Austriacae, scripturum, ut de fundatione in Polonia efficienda intensius agat.

Interim P. Lubieński in Anglia manet, exitum rei expectans. Multum orat, et per anni dimidium, ob stipendiorum penuriam, omnes Missas pro futura fundatione offert. Et forte etiam longius ei expectandum fuisse, nisi accidisset quid inopinatum. A. 1882 P. Provincialis Coffin a Leone XIII Episcopus Southwarcensis nominatur et Almam Urbem petit, ut ibi in ecclesia nostra S. Alfonsi consecrationem reciperet (11 Iun. 1882). Interim etiam in Polonia fundationis negotium processerat; siquidem P. Hamerle, Patris Kassewalder successor, 14 Dec. 1881 in *Mościska*, tum intra Austriaci imperii fines sito, pretio 12 000 flor. emerat pristinum conventum Ordinis S. Dominici, in quem comes Rogerius Lubieński supra laudatus nostrorum attentionem vocaverat. Eius frater Bernardus igitur mandatum recepit, ut via Roma-Vindobona Polonię peteret ad operam suam huic novae fundationi impendendam.

Ergo valedicendum Angliae, in qua tot annos felices transegerat. Hac occasione a generosis fidelibus paroeciae Clapham 900 aureos recepit pro nova fundatione Polonica.

Romae, quo cum Illmo Roberto Coffin d. 21 Maii advenit, summo gaudio tempus impendebat orationi, locorum sacrorum visitationi, colloquii cum veteranis familiae Alfonsiana. Etiam bis ad conspectum Beatisimi Patris admissus est et a Leone XIII de nova fundatione hoc laetum omen audivit: *Coraggio! Riuscirà!* Cum vero benedicendam obtulisset crucem missionalem, nuper a P. Coffin acceptam, qua instructus hic dignus S. Alfonsi filius per 30 annos Britanniam et Hiberniam evangelizaverat et cui iam Pius IX quondam peculiarem benedictionem impertiverat, Leo XIII manu super crucem posita dixit: « Nos benedictionem a Praedecessore Nostro datam confirmamus pro missionibus in Regno Poloniae. »

Hac itaque cruce munitus P. Lubieński iter in patriam arripit, et aliquot hebdomades Vindobonae commoratus demum Eggenburgum mittitur, ut linguam vernaculam suam denuo ibi perfecte addisceret! Quod cum rescisset Episcopus Princeps Cracoviensis Dunajewski, P. Bernardum ad se invitavit. Libenter consensit P. Provincialis Hamerle, sicque post tantas ambages confrater noster patriis redditur penatibus, annos natus sex supra triginta, post quinque lustra apud exteras nationes acta. Primum per quinque menses se dat Cracoviae in episcopali palatio studio linguae patriae, dein d. 22 Iunii 1883 in Mościska se confratribus adiungit, qui paucas ante hebdomades (prius hic exconventus, a saecularibus inhabitatus, nobis praesto non erat) novam ibi fundationem inceperant, videlicet P. Antonio Jedeck et P. Paulo Meissner.

Hic ergo incipit nova in vita nostri herois periodus eaque longior ac fructibus auctior, quae tamen facile comprehendi potest hoc uno verbulo: *Missionarius*. Ita est! P. Lubieński inde ab hoc praesertim tempore factus est missionarius, et totus missionarius. Nam licet et libros quosdam exaraverit minime spernendos, uti historiam imaginis thaumaturgae B. M. V. de Perpetuo Succursu, vitas S. P. N. Alfonsi, S. Clementis, S. Gerardi, P. Podgórske aliaque minoris molis, licet et Superioris munere aliquoties functus sit, tamen haec omnia parva videntur collata cum iis, quae in longa ac triumphali serie missionum praestitit.

Atvero cum de P. Bernardo qua missionario sermo est, silentio aliqua circumstantia praetereunda non est, quae omnes ad apostolatum vias ei praeccludere videbatur, quae tamen e converso rore caelesti eius apostolicos labores irrigavit. Infirmitatem dico eius corporalem perpetuamque pedum debilitatem. Ecce initio a. 1885 P. Bernardus gravi morbo correptus est. Potius non unus erat morbus, sed quattuor simul, sicut medicus edixit. Orationibus ac cuidam miraculo P. Bernardus attribuebat, quod non est mortuus. Tandem hos morbos apoplexia totalis subsecuta est plenaque contractio nervorum, ita ut ne articulum quidem movere posset. Post longas

curationes, post balinea, fontes, hydrotherapiam contractio nervorum ex parte recessit, quamquam P. Bernardus usque ad vitae exitum sine baculis et adminiculis nec subsistere nec gressum facere poterat. Id tamen, ut dixi, non impedimento ei fuit in s. ministerio, sed emolumento.

Quot missiones praedicaverit, nemo scit, nisi solus Deus, ut ipse notavit; nam nunquam earum numerum computare voluit, ne in superbiam incideret. Certe fere innumerae fuere. Difficile invenitur regio in patria nostra, ubi P. Bernardus non praedicaverit. Ubique est notus, ac quotiescumque quis eo vivo aliquem Redemptoristam obvium habebat, passim primum interrogabat: «P. Bernardus quid agit? Estne adhuc vegetus?» et saepe aliquod episodium de eius vita narrabat.

Multa quoque exercitia spiritualia sacerdotibus, clericis, religiosis praedicavit, semel etiam (a. 1928) 37 Praesulibus Poloniae Gnesnae congregatis, inter quos erant duo Cardinales, sex Archiepiscopi, quattuor Episcopi ritus orientalis¹. Etiam innumeri dies recollectionis per ipsum sanctificati sunt, et Archiep. Wałęgar f. r. quondam dixit: «Si quis recollectionista semel et iterum auditur, iam aliquantum vilescit et minus commovet; P. Bernardus semper eodem modo placet, semper libentissime auditur. Hoc solus P. Bernardus praestare valet.»

Non quidem pollebat extraordinariis ingenii viribus, tamen omnes dotes habebat, quibus magnus missionarius efficitur: imaginationem vivam, memoriam admodum tenacem, vocem sonoram et fortem ac facile flexibilem, dictionem optimam, facultatem sese adaptandi circumstantiis temporis locique, et praesertim cor zelantissimum ac magnanimum fidemque vivam. Semper ergo multo cum fructu, et aliquando prope mirabili, laboravit. Notae sunt eius «tubae iudiciales», cum manus in modum tubae compositas ori admovebat et voce tonanti terribilique sonabat: *Surgite, mortui, in iudicium!* Notae eius «contiones infernales», quibus terram mareque concutere sciebat ac tantum terroris et consternationis excitare, ut vix credi queat.

Sub finem vitae utique de hoc fervore paululum remisit, sed eo plus, immo fere totum tempus orationi vacabat. Vixit annos ferme 87, quorum 67 sub votis religiosis et 63 in sacerdotali statu, ita ut multa iubilaea celebrare potuerit². Paralysi progressiva iterum correptus, mortuus est Varsaviae d. 11 Septembris 1933.

Sollemni funeri aderant Em̄us Alexius Card. Kakowski, Ex̄m̄i DD, Archiepiscopus Gall et Episcopi Szlagowski et Czarneckyj, circ. 100 sacerdotes et 150 religiosae ac fidelium turba prope innumerabilis.

¹ Cfr. *Analecta VIII* (1929), 35 sq.

² De adamantino sacerdotii iubilaeo videsis *Analecta X* (1931), 99.

Quam multas virtutes P. Bernardus in longa sua vita exercuerit, quantumpere fuerit fide humili, sed fortissima, quanta caritate in Deum et proximum, quam affabilis in convictu, quem gradum attigerit eius studium observantiae religiosae, eius pietas filialis erga S. P. N. Alfonsum nostramque Congregationem, eius devotio in SS. Sacramentum et Beatissimam Virginem, quanta eius patientia, qua per multa decennia corporis infirmitatem tolerabat, qui eius amor paupertatis, ita ut per 20 annos eandem vestem, licet detritam, eademque calceamenta portaverit, non est cur longius scribamus, quia haec iam ex dictis patent et ab aliis melius narrabuntur. Spatium quoque hic deficit.

Ut sanctitatis famae, qua Pater Bernardus in Polonia gaudet, argumentum aliquod habeatur, iuvat hic afferre epistolam communem Antistitum Poloniae, Pl. R. P. Provinciali occasione mortis P. Lubieński missam, quae epistola pro coronide et conclusione esto :

« Episcopi in annuo conventu Czenstochoviae congregati, maxima tristitia affecti Pl. R. P. Provinciali dolorem suum exprimunt de morte f. r. P. Bernardi Lubieński. Cum tota Vestra Congregatio, tum praesertim universa Polonia catholica ob eius mortem maximum detrimentum cepit. Decessit enim religiosus optime meritus, omnium opinione sanctus; in odore sanctitatis decessit sacerdos fidelis, qui iuxta cor Dei et animam eius fecit¹; decessit missionarius, Poloniae Apostolus; in omnibus enim provinciis patriae nostrae per multa decennia vox eius inspirata sonabat; omnes hominum classes in Republica nostra ex ferventi eius labore in s. tribunali et suggestu salutaria emolumenta receperunt. Exemplum fuit fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate². Grato animo in mentem revocamus exercitia spiritualia, quibus olim Gnesnae praefuit. »

(m. p.) ALEXANDER Card. KAKOWSKI.

Czenstochoviae, die 19 Septembris 1933.

¹ Cfr. I Reg., 2, 35.

² Cfr. I Tim. 4, 12.

